DE EPISCOPORUM POTESTATE

IN PARŒCIIS DIVIDENDIS, NOVISQUE ÆDIFICANDIS

DOMINICI FEUDALII

PAROCHI ISCANI SCYLLACENÆ DIOECESIS

DIATRIBA,



NEAPOLI MDCCXC.

APUD VINCENTIUM ORSINI.

Superiorum facultate.

Omnia subita probantur incauta.
Cassiod. epist. 7.

Nam si sua unicuique jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi, ut per nos, per quos ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur?
S. Gregorius Papa lib. 9. epist. 32.: *can. Pervenit.*


NICOLAO VIVENTIO

VIGILANTISSIMO FISCI PATRONO

P A R O C H U S

DOMINICUS FEUDALIUS

Perpetuam Felicitatem,



Uid? reine admiratione corriperis, me, quocum nullæ Tibi amicitiæ necessitudines, nulla intercedit familiaritas, optime Nicolåe, hanc Tibi meam Diatribam statim

a 2 nun-

nuncupasse ? Sed desine mirari : quidquid enim laudis de amicis, ac familiaribus dici potest, in quibus illud Ciceronis (1) sæpius comprobatur : *sed* , inquit, *plerique neque in rebus humanis quidquam bonum norunt* , *nisi quod fructuosum sit* : *& amicos* , *tamquam pecudes* , *eos potissimum diligunt* , *ex quibus sperant* , *se maximum fructum esse capturos* ; id omne facilius quidem in suspicionem veniat, quam eorum encomia, qui quum nulla sint amicitia conjuncti, vera quidem pro sua sententia, Populorumque vocibus magis dicere , quam palpari creduntur. Qua de re quum hic Neapoli pro jurium Paroeciæ meæ defendendorum necessitate moram facerem, al-



(1) *Lib. de amic.* §. *XXI.*

alterum, auſcultabam, præclara facinora, alterum ardens in oppreſſum quemque ſtudium, omnes ſimul TUAM prædicare juſtitiam. Poſtea autem quum certo ſcirem, virum ſapientem quidquid, licet quam minimum, perhumaniter eſſe accepturum, TIBI hancmet, qualiſcumque ſit, inſcribere auſus ſum, atque poſt talem omnium conſenſum, quæ de TE ad Regni utilitatem nato præclara ipſa facinora prædicantur, eadem hic, palpum non obtundens, litteris conſignavi. Etenim quæ TU de invictiſſimi Regis noſtri FERDINANDI IV. mandato pluribus in locis effeciſti, clariora ſunt, quam ut meis opus eſſet laudibus illuſtrare. Ille certe quidem TU es, qui ſapientiſſimis conſiliis Bruttiorum ſalutis rationem in beni-

gnissimi Regis animum, qui vere clementissimus est, ac Regni sui felicitatis amantissimus, induxisti. Ille Tu quoque es, cui eumdem Augustum Regem nostrum Brundusini suam, suarumque rerum merito adpellant felicitatem; propterea quod, quum ejusdem mandata de rebus Brundusinis mirabilem in modum fueris executus, id præcipue opera Tua confectum est, ut ipsi in certam portus sui instaurationis spem venirent. Tu denique ille es, qui mira quidem ratione & Fiscum adaugere, simulque, ut par est, Populorum curare utilitates, & oppressos extollere, & oppressorem quemque pro legibus deprimere, & pauperibus diuque noctuque studes succurrere, quam qui maxime, sic ut nostri temporis dicaris boni publici cu-

ra-

rator, ac de viris ſtudendo deditis optime meritus; eo quod doctrinis omnibus ſatis es, ſuperque inſtructus. Omnino ſi Tuus in Religionem amor ſpectetur, nihil Tibi amabilius, nihil Tibi carius; ſi patientia in pauperum lamentationibus auſcultandis, valde ſingularis eſt; ſi artis Diplomaticæ voluntas, ſtudiumque mira cum attentione conjuncta, neminem Tibi præfero; ſi humaniorum litterarum, ac quatuor artium, ut vocat Voſſius, popularium ſcientia, Tu de communi omnium conſenſu cum primis comparandus es; ſi ſacrorum canonum, legum, reique politicæ peritia, Tu Juriſconſultus diceris eximius. Quod ſi Tu pro Tua modeſtia neque de Tuis, neque de Patris, Germanique, virorum doctiſſimorum præclariſſimis, quibus apud Pium,

ſemperque Felicem Regem noſtrum fungimini muneribus, ſummas ne ea quidem, qua decet obſervantia laudes non libenter velis audire; ſcito, me quidem taciturum, atque nihil hac de re memoriæ tradi-turum. Sed ſi ego ſilentium ob-ſervo, ipſa quidem & honoris, & dignitatis munera, ipſi libri in lucem editi, ipſa denique cum civium, tum exterarum nationum teſtimonia Te, Tuosque ma-ximopere laudibus proſequentur, efficientque ære perenniores. Quid igitur amplius verbis opus eſt? Ego vero re quidem taceo; tamen Tu pro Tuo munere, optime Nicolaë, Parocho nimis, vereque oppreſſo ſuccurre; & hunc meum, licet quam minimum, accipe per-humaniter laborem, ſicque in Tua tutela nullam timeo malevolorum cenſuram; quam ſcio non defu-turam eſſe.

J. U.

U. J. D. D. Carminus Fimianus in hac Regia Studiorum Universitate Professor Primarius revideat autographum enuntiati operis, cui subscribat ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordant ad formam Regalium ordinum, & in scriptis referat; potissimum si quidquam in eo occurrat, quod Regiis juribus, bonisque moribus adversetur. Ac pro executione Regalium ordinum idem revisor cum sua relatione ad nos directe transmittat etiam autographum ad finem &c.

Neapoli die 6. mensis Februarii 1790.

F. ALB. ARCHIEP. REGINUS C. M.

S. R. M.

JUssu tuo, Rex Augustissime, Dominici Feudalii *diatribam de episcoporum potestate in paroeciis dividendis, novisque ædificandis*, sedulo percurri. In ea auctor paroeciæ, cui præest, jura sarta tecta, uti nimirum bonum pastorem & decet, & oportet, pro virili sua vindicaturus, postquam multa scite de episcopali auctoritate, & paroeciarum origine consignasset, luculenter ostendit, paroecialium ecclesiarum dissociationem, qua ex una duæ fiunt, canonibus constanter interdici, nec nisi urgente ipsius ecclesiæ necessitate, utilitateque, legitima auctoritate, & ratione, quandoque permitti; ne status ecclesiarum rite constitutus non sine fidelium scandalo & detrimento interturbetur. Quum autem nihil in illa offenderim, a quo Regio juri, morumque integritati quoquo modo sit metuendum, in publicam lucis usuram, modo per Majestatem tuam liceat, evadere posse censeo.

Neapoli IV. Idus Februarii MDCCXC.

Carminus Fimianus

Die 2. mensis Martii 1790.

Viso Rescripto S. R. Majestatis sub die 5. currentis mensis, & anni, ac Relatione Dom.

D.

D. Carmini Fimiani , de commissione Regii Capp. M. , ordine præfatæ Reg. Majest.

Regalis Camera S. Claræ providet , decernit , atque mandat , quod imprimatur cum inserta forma præsentis supplicis libelli , ac approbationis dicti Dom. Revisoris ; Verum non publicetur, nisi per ipsum Revisorem facta iterum revisione affirmetur, quod concordat , servata forma Regalium Ordinum ; ac etiam in publicatione servetur Regia Pragmatica : hoc suum

PATRITIUS. POTENZA.

Vidit Fiscus Reg. Cor.

Illustris Marchio Citus Præses S. R. C. & ceteri Ill. Aularum Præfecti tempore subscript. imp.

Reg. fol. 1. Izzo. Athanasius.

Adm. Rev. Dom. D. Franciscus Rossi S. Th. Professor revideat , & in scriptis referat .

Die 14. Februarii 1790.

Joseph Rossi Can. Dep.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

IN libello , cui titulus : *de episcoporum potestate in paroeciis dividendis , novisque ædificandis , Dominici Feudalii , parochi Iscani diatriba :* nihil est , quod aut Catholicæ fidei , aut bonis moribus adversetur . Auctor enim ex sacris canonibus , & veteri novaque ecclesiæ disciplina hanc Spartam & sana ac non vulgari doctrina , & mira in Ecclesiam tractat observantia ; quo paroeciæ suæ jura , item ut convenit , oportetque , verus pastor defendat . Quare , ni secus Tibi videatur , typis committi eum posse censeo . Neapoli XI. Kalendas Martii 1790.

Eminentiæ Tuæ .

Addictissimus , & obsequentissimus

Franciscus Rossi

Attenta relatione Domini Revisoris imprimatur . Datum hac die 2. Februarii 1790.

N. DE AMBROSIO V. G.

Joseph Rossi Can. Dep.

MONITUM.

NE *mireris, velim, benigne lector, in tantis me rerum Ecclesiasticarum dissertationibus quam doctissimis hanc meam* de Episcoporum potestate in Paroeciis dividendis, novisque ædificandis *in lucem edere voluisse. Hæc quidem, ut ingenue fatear, nihil continet venustatis; ac si quid esset boni, procul dubio præ illis evanesceret, perinde atque stellæ, orto jam sole, parvum lumen amittunt. Haud scio vero, an tu in hacmet quid studeas quærere vanitatis: sed cave, hoc tibi in mentem veniat, laureolam me in mustaceo quærere; aliud enim atque aliud, quam tu, ceterique possitis sentire, maxime spectavi. Etenim nullus mei amor, crede mihi, nulla honoris humani sollicitudo, nulla me denique vanitas exstimulavit, quo brevem hanc meam in lucem ederem Diatribam; sed necessitas, juriumque Paroeciæ meæ defendendorum officium, quod me tum Neapolim venire,*

tum

tum etiam ex varia Ecclesiæ disciplina id, quidquid sit, opusculum haurire compulit. Non enim canonica necessitas, sed quorumdam paucorum civium honoris contentio Iscanam Paroeciam meam sane parvam, caussa pro legibus non cognita, Parocho in jus non vocato, curavit dividendam. Ego vero nolo Episcopi consilium mala mente, maloque animo expendere; quamvis multa essent argumenta, quæ quidem multa multis suppeditant. Si enim ardens esset in animas studium, quo eamdem ille divisit, satius certe fuisset Paroeciarum unitatem ceterorum suæ Diœcesis oppidorum (1) *dividere, quæ majoris sunt extensionis, ibique, si vere sit canonica divisionis necessitas, plures instituere Parochos, quam Iscanam meam præ-*



(1) Hæc inter cetera sunt, oppidum Sancti Andreæ animarum 2100.: Cardinalis duobus abhinc annis carens pastore 2345.: Claravallis 2451.: Guardavallis 2918.: quæ oppida uno reguntur Parocho. Et quidem nulla ibi facta est divisio. At Iscæ flagitata est. Quis neget? tamen Episcopus non paucorum ci-

præ illis ſane parvam (1) *: quæ , ut ipſe Epiſcopus ſcit, Paſtori ſuo ſemper adhæſit, quam quæ maxime , præter quosdam paucos rerum novarum , honorisque contentionis , non ovium mearum ſalutis , ſuæque amatores ; nulla ibi erat canonica diviſionis neceſſitas : quæ quidem ſi eſſet , nequaquam reſtitiſſem . Parochus vero , audito diviſionis rumore , (nulla cognita cauſſa) ſe ſe ad Epiſcopum contulit ; a quo pro ſacris canonibus virum a delegationibus, vulgo* delegatum *enixis precibus, effuſis quoque lacrymis poſtulavit, qui novæ Paroeciæ inquireret neceſſitatem : ſed fruſtra . O ſi Epiſcopi illius meminiſſent , quod Iſidorus Peluſiota ſcripſit ; aliter quidem ſentirent , agerentque! Peluſiota epiſcopatus ipſius natura ſubnixus, ſic officii ſui monet* (2) *Epiſcopos :* Opus hæc res



civium genium, ſed canonum obſervantiam, & ne ſine neceſſitate alter jure ſuo privetur, debet ſpectare.

(1) Animarum 1500. : nulla ibi pro canonibus urget neceſſitas.

(2) Epiſt. 216. lib. 3. pag. 342.

res est, vir optime, non ludus, atque animi oblectatio: cura, non luxus: MUNUS REFERENDIS RATIONIBUS OBNOXIUM, NON IMPERIUM AB OMNI CENSURA LIBERUM, ATQUE IMMUNE: paterna procuratio, non tyrannica licentia: dispensatoria præfectura, non ejusmodi potestas, quæ sub reddendarum rationum necessitatem minime cadat. *Sed si Episcopus sciret, Dioecesim suam sane vastam dividendam esse; dic, quæso, quid faceret? Omnes quidem vias persequeretur, ne id fieret. Quare Poetam imitando, qui Mantuæ nullum pro libertate, reque sua, Romæ quidem omne auxilium, Cæsarem nempe Augustum invenit; hic & ego Cæsarem Regem nostrum invictum, semperque Pium FERDINANDUM IV. inveni; qui pro caritate in subditos, pro accurata legum custodia, pro tam claris exhibitis documentis per viros* (1) *a consiliis sapientissimos*



(1) Hi sunt Excellentissimus Ferdinandus Corradinus, Michäel Vecchionius, Grego-

mos jussit ex rerum veritate hac de re canonice *inquiri.*

Noli autem putare, id in hac esse venustatis, quod in tantis est summorum virorum his de rebus dissertationibus: illud tantummodo habebis in probatis, quod quis fortasse Episcoporum sibi contra Ecclesiæ mentem, Paroecias scilicet sine canonica necessitate dividendo, usurparet, Paroeciarum originem brevi describam, & quomodo in Paroeciis dividendis, novisque ædificandis se recte semper gesserit Ecclesia, ob oculos ponam; quid hoc ipso pro re nata sanciverit; quæque ad id sit Episcoporum potestas. Tandem aliquando præcipua quædam mala, quibus utique scatet Paroeciarum di-



gorius Bisognius, Gaspar Vanvitellus, Viri a consiliis Regiis tum pietate, tum scientia præditi; (in quibus & Fisci adest Patronus Nicolaus Viventius) qui, re ad consilium adhibita, pro veritate jusserunt ex integro inquiri. Nec enim dubitandum est, quin tanti Magistratus sint pro justitia, quam tantopere colunt, sancituri.

divisio sine necessitate, *habebis*. *Si quid vero peccatum*, *humanitati condonatum velim*; *libros enim*, *in quibus his de rebus agitur*, *non omnes in tam brevi temporis spatio habere potui*. *Te vero etiam atque etiam rogo*, *ne me vel parum Episcopis obsequiosum*, *vel quid in eos habere livoris malevolentiæque credere velis*; *ipsos enim quippe Apostolorum vereor successores*: *Sed hæc pro justa*, *atque necessaria Paroeciarum defensione*, *quæ nemini potest denegari*, *ex ipsis sacris canonibus*, *Ecclesiæ disciplina*, *regnique politia hausi*, *eorum nullum*, *ut par erat*, *offendendo*. *Quod si quid in quo peccetur*, *recordare*, *quod homines & ipsi Episcopi sint*, *sicque admiratione parcito*. *At Episcopis debet obediri*: *scimus & hoc*: *tamen illius memento*, *quod Apostolus scripsit* (1): rationabile obsequium vestrum: *quod alii clarius ex græco vertunt*: rationalem cultum vestrum. *Itaque ut cultus in Deum debet esse rationalis*; *ita cultus*, *atque obedientia in Episcopos*. *Vale*.



(1) Rom. cap. 12. v. 2.



DE EPISCOPORUM POTESTATE

In Paroeciis dividendis, novisque ædificandis.

C A P. I.

Qua poteſtate polleant Epiſcopi.

§. I. NEmo unus ignorat, quanta Epiſcopi donati ſint a Chriſto poteſtate, qua ſub uno capite, qui Apoſtolorum Principi ſucceſſor eſt, valeant ejusdem gregem *in omni doctrina* rege-

re, atque gubernare. Grex vero iste a primis Ecclesiæ sæculis pro illa hominum multitudine, qui rem Christianam professi sunt, minor quidem fuit, quam ut oporteret, plures undique constituerentur Rectores, nec si vellent, constitui poterant, alter ab altero diversus. Quem sane gregem pro sua quisque eorum virili parte docebat, ex Redemtoris præceptis monebat, muniebatque Sacramentis. Aucto denique Populo Christiano, frigescente sensim sine sensu caritate, ita ut non omnes Ecclesiastici viri eamdem animarum curam sine majori honore libenter ubique terrarum exercerent, opus fuit, non solum in iis, quas Episcopi regebant civitates, sed etiam in aliis vicis, pagisque pro recto Ecclesiæ regimine statuerentur Presbyteri, qui curam animarum haberent alteram ab altera distinctam: id, quod Ecclesiæ adimplebatur potestate. Hæc autem potestas, quippe quæ Apostolis αμέσως a Sanctissimo Servatore collata, sane quam eorum successoribus, qui sunt

Epi-

Episcopi, merito convenit; quam si quis vel negare, vel in dubitationem vocare ausus fuerit, illud quidem Terentii de eo dici potest: *nodum in scirpo quæris*. Sed vero dubitandum non est, quin ea Paroeciæ dividendæ, novæque ædificandæ potestate, quæ sibi quoque ex instituto est, atque Ecclesiæ auctoritate, pro humanæ naturæ conditione & ipsi Episcopi quandoque abutantur, tum statutos terminos prætergrediendo, tum etiam sibi collatam potestatem in *dispotismum* per injuriam convertendo. Hinc factum est, ut Catholica Ecclesia semper a Spiritu Sancto ducta atque gubernata, ne Parochi eo, quod possident jus, spoliarentur, si Paroeciæ nulla *subsistente caussa* dividerentur, hoc statuerit, ut pro certis quibusdam caussis dividant illi Paroecias: quæ quidem caussæ nisi essent veræ, per summum humanæ societatis dedecus alter ab altero jure suo privaretur; ut illius incommodo istius augeretur commodum. *Quod*,

ut ſcripſit Cicero (1), *magis eſt contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cetera, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit convictum humanum, & ſocietatem. Si enim ſic erimus affecti, ut propter ſuum quiſque emolumentum ſpoliet, aut violet alterum, disrumpi neceſſe eſt eam, quæ maxime eſt ſecundum naturam, humani generis ſocietatem*. Nunc autem ſatius quidem eſt, me ex hoc extricare, quam multo plura differere. Sed hanc adgreſſurus provinciam, operæ me quidem pretium factum puto, ac rem magis magisque illuſtraturum, ſi triplicem in regimine animarum Eccleſiæ diſciplinam, a Chriſto nempe ad Conſtantinum, a Conſtantino ad Alexandrum III., ac denique ab Alexandro III. ad Concilium Tridentinum brevi deſcribam.

Pa-



(1) *Lib. III. de officiis n. 4.*

Paroeciarum origo: quid de ea sentiant eruditi.

§. II. Sunt, qui putant, Parochos, quippe qui Prælati dicuntur inferiores, a prima Christi institutione suam traxisse originem. Etenim quemadmodum Episcopi (non abs quidem re est, si hanc paucis tractem quæstionem) Apostolorum, ita Parochi LXX. Discipulorum reputati sunt successores: Gratianus enim scripsit (1): *Simpliciter vero majorum, & minorum Sacerdotum discretio in novo Testamento ab ipso Christo sumsit exordium, qui XII. Apostolos, tamquam majores sacerdotes, LXX. discipulos, tamquam minores sacerdotes instituit.* Illud quoque Lucæ (2) ad eosdem Parochos spectare adserunt: *Ite, ecce ego mitto vos, sicut agnos inter Lupos . . . . qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Hac etiam de re scripsit pius Gersonius (3)

 his



(1) *Dist.* 22. (2) *Cap. X.*
(3) *De potest. Ecclesiast. consf.* 12.


his verbis : *Domini curati sunt in Ecclesia minores Prælati, & Hierarchæ ex primaria institutione Christi, quibus competit ex statu jus prædicandi*, & cet.: quæ altera est ex duabus propositionibus, quas Parisiensis facultas ab oppugnatoribus (1) subscribi jussit, suas ipsi condemnando, quas & docebant, & sustineri volebant. Aliud autem, quam ab iis olim traditum est, sentiunt eruditi viri, in quibus Böhmerus (2), & Carminus Fimianus in Archigymnasio Regio Neapolitano canonum Primarius nunc Professor doctissimus. Multis ipsi ex veteribus Ecclesiæ monimentis probatum dederunt, ante tria ipsius priora sæcula, nullas fuisse Paroecias. Ego vero, qui minoris sum subsellii, tantis viris nec obsistere ausim, nec si velim, audeam: nihilominus meam hac super



(1) *Duo præcipui fuerunt, alter Joannes Serrasinus ex S. Dominici, alter Joannes Gorel ex S. Francisci Familia. Lege Thomasinum de vet., & nov. Eccl. disc. de Parochis.*

(2) *De jure Paroch. sect. II. cap. II. §. XLVII.*

per re opinionem palam facere velim. Constat enim, quamvis nullæ ante tria priora Ecclesiæ sæcula fuissent Paroeciæ; tamen neminem iturum esse inficias, tum Apostolorum, tum etiam eorum successorum tempore Presbyteros extare debuisse, qui animarum curæ pro tam magna fidelium multitudine vacarent. Etenim Böhmerus ipse (1) litteris consignavit: *Christiani nominis tanta vis, tanta virtus, & efficacia fuit, ut mox etiam vicos, & agros impleret, id, quod Plinius ut rem miratu dignam Trajano refert . . . . Jam Justinus Martyr in Dial. cum Tryphone Judæo pag. 345. suo tempore adfirmare ausus est, per totum orbem virtutem Divinam Christiani nominis penetrasse, ne unum quidem esse mortalium genus, ait, sive Græcorum, sive etiam aliorum omnium, quocumque appellarentur nomine; vel Hamaxobiorum, vel Nomadum domo carentium, vel in ten-*



(1) *Differt. V. de Christianor. cæt. in vicis & pagis §. III. pag. 298.*


toriis viventium, & *pecoribus vitam tolerantium*, *inter quos per nomen crucifixi Jesu supplicationes*, & *gratiarum actiones Patri*, & *Fabricatori rerum omnium non fiant*. *Si tam latissime*, sequitur Böhmerus, *patuit Christianum nomen*, *quid mirum*, *quod etiam in agris hæc Divina virtus se exeruerit?* & cet. Quæ igitur quum ita sint, ingenue fatendum est, Presbyteros illos, qui tribus prioribus Ecclesiæ sæculis ex Apostolorum, successorumque destinatione curæ vacabant animarum, Parochorum loco semper fuisse. Quod quidem *Parochi* vocabulum quamvis post Constantini tempora in re Christiana auditum sit; tamen pro sacro ministerio, quo de Ecclesiæ potestate tunc temporis fungebantur pro jure suo Presbyteri ad id muneris destinati, re quidem & illis satis bene quadrat. Nec vero res miratu digna est, *Parochi* nomen antiquis inauditum esse: illis enim temporibus in Christianos quam maxime sævitum est; qui propter Gentium furorem nec in publicum

cum cætum coalescere poterant, sed in cryptis latere oportebat; ac propterea nullus Paroeciarum ambitus distinctus, nulla fuit animarum cura altera ab altera diversa, perinde ac Dioècesum nulla tunc temporis divisio fuit; sed omnes pro eà, quæ sibi inerat, caritate omnibus ubique fidelibus de rebus spiritalibus succurrebant. Sed si Parochorum nomen primis Ecclesiæ sæculis nullum fuit; tamen sacrum eorum ministerium non deesse debebat.

Episcopatus in Civitatibus, non in pagis, vicisque fundati.

§. III. Quum enim Apostoli, eorumque deinde successores politiam reipublicæ merito sectando, in civitatibus, ubi magis & idololatria florebat, & vitia, non in pagis, vicisque Episcopatus fundassent, ut ex historia Ecclesiæ clare patet, opus sane erat tunc temporis, ut in illis locis, unde quam longe plerumque distabant Episcopi, qui pro longo itinere ne per Diaconos quidem sacram Synaxim mit-

tere valebant vel die Dominico, eſſet certe Presbyter, qui Sacramenta, quæ poſt pacem Eccleſiæ redditam Parochorum eſt, conficeret. At Böhmerus (1) ſcripſit: *Hic*, Clemens Pontifex Romanus, *ingenue fatetur*, *Apoſtolos in agris quoque conſtituiſse Epiſcopos*, & *Diaconos*. Sed huic erudito viro reſponderi poteſt, inter Epiſcopos, Diaconoſque medios ſtetiſſe Presbyteros; quum in Eccleſia tres ordinem conſtituant, Epiſcopi nempe, Presbyteri, & Diaconi. Quare ſub τὸ *Epiſcopos* neceſſe quidem eſt, Presbyteri intelligantur; quod ex Apoſtolo (2) magis, magisque patet: *Attendite*, inquit, *vobis*, & *univerſo gregi*, *in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*: ex quibus quidem verbis hæc doctiſſimus Eſpenius (3) infert:



(1) *Citata diſſert. V. §. IV.*
(2) *Act.* 20.
(3) *Par. I. Tit. III. cap. I. n. VI.*

fert : *Licet enim ſolo Epiſcoporum nomine utatur; nihilominus & ad Preſbyteros gregem Chriſti paſcentes loquitur; eo quod nomine Epiſcoporum ex phraſi ejus ætatis & Presbyteri ſignificabantur*. Quod & notavit jam pridem S. Irenæus (1) *In Mileto*, Paulus inquit, *convocatis Epiſcopis, & Presbyteris, qui erant ab Epheſo, & reliquis proximis civitatibus; utrumque enim nomen habebant illo tempore*. S. Hieronymus (2) quoque ait : *Epiſcopos hic non ſolum Pontifices, ſed & Presbyteros intelligimus*. Ex quibus quam maxime claris monimentis vel intelligi poteſt, Clementem Romanum Pontificem ſub Epiſcoporum nomine Presbyteros intellexiſſe. Hoc igitur oportet fateri, ut, quum nulli in pagis, viciſque fuerint Epiſcopatus fundati, Presbyteri, qui hodie Parochorum, Rectorum-

que



(1) *Lib. 3. contra hæreſes cap. 14. n. II.*
(2) *In epiſt. ad Titum cap. I. v. 7.*

que nomine donati sunt, curæ vacaverint animarum.

C A P. II.

Ecclesia pacem adepta, Paroeciæ distingui cœperunt.

§. I. SEd ad propositum veniam; quumque quid de Paroeciarum origine ad Constantinum usque senserint eruditi viri, quoad ejus fieri potuit, mea quidem sententia explicuerim, ad ea tempora devenio, quibus de Paroeciis ne hæretici quidem dubitarunt. Omnino quum Ecclesia per Constantinum Magnum pacem nacta fuerit, ita ut quocumque Romani imperii exierit Divina Evangelicæ prædicationis tuba, templa, falso Deorum cultu contemto, ubique construenda curatum sit, Gentes ad Religionem Christianam, idolis destructis, manifeste, ac turmatim cucurrerint, necesse quidem tunc fuit, ut cuique pago, vicoque, magnarum præsertim ci-

civitatum ſuus Presbyter pro re nata deſtinaretur; qui quum totius Paroeciæ curam ageret ſpiritalem, *Parochus*, ſeu *Presbyter Parochianus* dictus eſt: & quod Populus eum quippe proprium paſtorem ſuum et venerari, & audire debebat; propterea a ſanctis canonibus *proprius Sacerdos* nuncupatus eſt. Sed quamvis quarto Eccleſiæ ſæculo cæperint erigi diſtinctæ Paroeciæ; tamen neque ſtatim ubique terrarum orbis Chriſtiani, neque eodem tempore factum eſt. Quod vero rerum Eccleſiaſticarum ſcriptores de diſtincto Paroeciarum ambitu dixerint, id quidem eſt, quod ſolum ex S. Athanaſii verbis habetur (1): *Mareotes*, inquit, *ager eſt Alexandriæ, quo in loco numquam Epiſcopus fuit, imo nec Chorepiſcopus quidem, ſed univerſæ ejus Eccleſiæ Epiſcopo Alexandrino ſubjacent, ita tamen, ut ſinguli pagi ſuos Presbyteros habeant.* Ex



(1) *Apolog.* 2.

Ex qua quidem auctoritate licet inferri, Paroeciarum distinctionem Alexandriæ primum factam esse; illinc vero ad ceteras Christiani orbis partes extendi cœpisse. Hoc quoque testatur S. Epiphanius (1), de Alexandrina civitate hæc tradens: *Nam unicuique Ecclesiæ, quæ tum multæ erant, hodie vero plures sunt, suus adtribuebatur presbyter*: nec non (2) hæc scripsit: *Quotquot Alexandriæ catholicæ communionis ecclesiæ sunt, uni Archiepiscopo subjectæ sunt, cuique præpositus est presbyter, qui Ecclesiastica munera iis administret, qui circa Ecclesias illas habitant.*

Ex



(1) *Hæres.* 68. *n.* 4.
(2) *Hæres.* 69. *n.* 1.

Ex hac Paroeciarum diſtinctione multi canones extiterunt. Eorum occaſio deſcribitur.

§. II. Sed quo uberiores fructus ex hacmet Paroeciarum diſtinctione propter ſingularem cujusque Paroeciæ curam; propterea quod ſuum quæque ovis cognoſceret paſtorem, eo periculoſiores, acrioresque ortæ ſunt controverſiæ, ita ut Catholica Eccleſia plures hac de re canones ſanciverit. Sed quo res melius intelligatur, a principio narranda eſt. Limitibus itaque cuique Paroeciæ pro re nata præſcriptis, cæpit *proprius Sacerdos* faſtidio eſſe filiis, adeo ut ſuam nihili putantes Paroeciam, tum ad Sacramenta recipienda, tum ad Miſſam, verbumque Dei audiendum, ut par erat, alias atque alias vanitatis ſtudio, non vero pietatis amore, feſtis præſertim diebus luſtrabant. Hac rerum confuſione alterius Paroecia jam ſuis orbata, alterius filiis repleri cernebatur. Tunc enim vero Presbyteri eccleſiarum paſtores ſane quam

pro

pro eo, ac debebant, queri cæperunt; eorum quisque suos monebat, arguebat, increpabat. Tot denique perturbationibus commota provida mater Ecclesia (1), sancivit, ne in alienam Ecclesiam ullo modo reciperentur, sed omnino ire cogantur *in suas ipsorum Paroecias*; ut ita suam quisque Paroeciam, & Sacramenta recepturus, & Dei verbum a proprio pastore auditurus, festis præsertim diebus lustraret. Immo in eodem Concilio Nicæno (2) illam Patres sustulerunt consuetudinem, qua inductum fuisse videtur, ut de civitate in civitatem Episcopi, Presbyteri, Diaconique transirent; simulque præcipitur, ut Ecclesiæ suæ restitueretur, cui Episcopus, vel Presbyter ordinatus fuerit (3).

Au-



(1) *In Conc. Nic. Can. XVI.*

(2) *Can.* 15.

(3) *Böhmer. de jure Paroch. sect. II. cap. II.* §. *XLVI.*

Aucto pagorum populo, propter difficultatem Paroeciæ jussæ sunt dividi.

§. III. Interea autem temporis, satis aucto pagorum, vicorumque populo, atque prolato etiam civitatum pomærio, sic ut fideles sine magna difficultate non possent propriam Paroeciam adire, cæperunt Summum Pontificem Romanum postulare, ut veterem dividendo, novam juberet erigi Paroeciam; ne quid de re spiritali paterentur detrimenti. Quo factum est, ut Alexander III. Pont. Maximus ad Rogerium Eboracensem Archiepiscopum rescribens, hac de re statuerit his verbis: (1)

Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quod villa, quæ dicitur H. tantum perhibetur ab Ecclesia Parochiali distare, ut tempore hyemali, quum plu-



(1) *Lib. 3. decret. de Eccl. ædific. cap. 3.*


pluviae inundant, non possint Parochiani sine magna difficultate ipsam adire; unde non valent congruo tempore Ecclesiasticis interesse officiis. Quia igitur dicta ecclesia ita dicitur reditibus abundare, quod præter illius villæ proventus minister illius convenientem valet sustentationem habere, mandamus, si res ita se habet, Ecclesiam ibi ædifices, & in ea Sacerdotem, sublato appellationis obstaculo, ad præsentationem Rectoris Ecclesiæ majoris cum canonico fundatoris assensu instituas, ad sustentationem ejusdem villæ obventiones Ecclesiasticas percepturum; providens tamen, ut competens in ea honor pro facultate loci matrici servetur; quod fieri posse videtur, quum ejusdem villæ dominus viginti arras terræ frugiferæ velit ad usus Sacerdotis conferre. Si vero persona matricis Ecclesiæ virum idoneum præsentare distulerit, vel opus illud voluerit impedire, tu nihilominus facias idem opus ad perfectionem deduci, & virum bonum, appellationis cessante diffugio, instituere non omittas.

Hu-

Hujus vero constitutionis ratione ad Concilium usque Tridentinum dividebantur, *si ita se res habebat*, Paroeciæ. Ex qua quidem constitutione tum Glossa, tum etiam canonici juris periti inferebant, opus esse ad Paroeciarum divisionem Pontificis auctoritate.

Episcopi ex hac constitutione, Paroecias invito Rectore sine Papæ facultate non poterant dividere ante Tridentinum.

§. IV. Sed, quo hæc res magis magisque elucescat, operæ quidem pretium est ea describere, quæ litteris consignavit celeberrimus Fagnanus (1): *Verum gloss. ult. in c. 2. 99. dist. sentit, hoc fieri non posse, invito Rectore, nisi per Papam, vel de illius mandato, prout hoc factum fuit. Idem tenet gloss. in verb.* Obventiones, *dicens, hoc*



(1) *In librum III. decretal. de Eccles. ædific. cap.* Ad audientiam.

Pontificem fecisse de plenitudine potestatis propter animarum periculum, quod imminebat, & quia præter proventus illius villæ Rector matricis Ecclesiæ poterat competenter sustentari. Sed Episcopus hoc facere non *posset, nisi de consensu Rectoris matricis Ecclesiæ, ut cap.* Ecclesiæ, & *cap.* Quicumque 16. qu. 1.; *quia non potest jura illius Ecclesiæ dare alteri*. c. 1. de reb. Eccl. non alien. & arg. c. Constitutum, & c. Præcipimus §. Si duo ead. caus., & qu. *Quapropter dicebat hic removeri appellationem, quia fit ex mandato Papæ; sed si fieret ab Episcopo, liceret appellare, ut refert Card. in 4. notab.*


CA-

CAP. III.

Quid Patres Concilii de Paroeciarum divisione senserint, brevi exponitur.

§. I. NUnc venio ad Tridentinum Concilium, quæ regula quidem est Catholicæ Ecclesiæ non solum in doctrina, sed etiam in disciplina. In primis autem plurimum juvat ea hic referre, quæ historicus Pallavicinus hac de re scripsit (1): *Quod vero*, inquit, *de hoc articulo lego*, (de Paroeciarum scilicet divisione) *id primum in Patrum Concilii animo versabatur, ut locorum Ordinariis potestas daretur novas Parochias erigendi, cognita tamen causa*. Sed inter Germanos Patres, Hispanosque multum hoc de articulo disputatum est. Illi volebant,

 ut



(1) *Hist. Conc. lib. XVII. cap. X. n. 3.*

ut de *Capituli* consilio, isti autem, ut solus Episcopus, si urgeret necessitas, Paroecias divideret, alteram ab altera diversam erigendo. Tandem aliquando vicerunt Hispani; atque de communi omnium consensu hoc decretum statuerunt (1).

Episcopi etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegati in omnibus Ecclesiis Parochialibus, vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui Divino peragendo; cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum. In iis vero, in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & divina officia accedere non pos-



(1) *Sess.* XXI. *cap.* 4.

possunt, novas Parochias, etiam invitis Rectoribus, juxta formam constitutionis Alexandri III., quæ incipit : Ad audientiam, *& cet.*

Præcipuus hujus canonis finis rusticorum fuerunt mappalia.

§. II. Non abs quidem re est id, quod de novarum Paroeciarum constitutione scripsit Ludovicus Thomasinus (1): *Quum videlicet latissime*, inquit, *protenduntur fines alicujus Parochiæ, longiusque ab Ecclesia Parochiali distant rusticorum mappalia quædam, potest Episcopus alteram ibi constituere Ecclesiam, & novum ibi constituere Parochum, quem prior Parochus præsentaverit.* Ex quo id inferri potest, canonum mentem ad rusticorum præsertim mappalia, quæ rustici ad formam,



(1) *De Vet. & nov. Eccl. disc. Part. I. lib. II. cap. XXVI. n. X.*

& ſpeciem quamdam pagorum conſtruxerunt, certe quidem ſpectaſſe. Quam ſit hujus decreti ratio & pietati conſona, & ſocietati, quo S. Mater Eccleſia, ne quid filiis ſuis accideret detrimenti, ſapientiſſime conſuluit, difficile dictu eſt.

Epiſcopi novam Parœciam, veterem dividendo, non Œconomiam independentem *poſſunt conſtituere*.

§.III. Hic animadvertendum eſt, nullam habere Epiſcopos poteſtatem vulgo *Œconomiæ independentis* a veteri Parocho conſtituendæ, tum ſi vetus, & nova Eccleſiæ diſciplina, tum ſi Alexandri conſtitutio, ac Tridentinum ſpectetur decretum. Nam quum Paroeciæ urgeat diviſio propter animarum periculum, (quod ex *diſtantia*, & *magno incommodo* debet Epiſcopus metiri, non ex cerebroſis flagitantium curis) eamdem oportet perficere diviſionem, novumque Parochum alterum ab altero diſtinctum pro ſacris Eccleſiæ canonibus con-

constituere: vocabula enim *Œconomiæ independentis* ignota sunt canonici juris peritis. Quum vero sit apud veterem Ecclesiæ disciplinam *Œconomi* vocabulum; tamen diverso quidem sensu. Thomasinus (1) ita scripsit: *B. Isidorus Episcopus Hispalensis œconomi functiones super Toletanorum Conciliorum canonibus describit*: *Ad œconomum*, ait, *pertinet separatio Basilicarum, atque constitutio, actiones Ecclesiæ in Judiciis, vel in præferendo, vel in respondendo. Cura agrorum, & cultura vinearum, caussæ possessionum, & servitialium, stipendia Clericorum, Viduarum, & devotarum pauperum. Dispensatio vestimenti, & victus domesticorum clericorum, servitialium quoque, & artificum. Quæ omnia cum jussu, & arbitrio sui Episcopi ab eo implentur. Ex quibus dilucidum est, œconomum jussu, & auctori-*

ri-

(1) *De Benef. Par. III. lib. II. Cap. V. n. XI.*

ritate Episcopi temporalia Ecclesiæ omnia administrasse, cujus etiam domus specialiter œconomus, & præfectus erat. O utinam & in episcopiis hi veteres eo sensu Œconomi hisce temporibus essent! Satis quidem fieret & pauperum egestati, & honesto Ecclesiasticorum.

Vera necessitas exigit Paroeciarum divisionem, non sola Episcoporum voluntas.

§.IV. Hoc vero decretum debet esse regula Episcopis, ut in novas Parœciarum divisiones inoffenso pede incedant: hanc sane regulam qui secuti sunt, non quæ sua, sed quæ Jesu Christi sunt, mirandum in modum, ut par est, quærunt: nec enim sibi vitio tribui potest, quod satis superque in suis *Capitularibus* (1) scripsit Carolus Calvus: *Ut Episcopi*, ait, *Parochias presbyterorum per in-*



(1) *Tit. 5. Cap. 7. ad Tolosam.*

inhonestum, & periculosum lucrum non dividant. Sed si necessitas populi exegerit, ut plures fiant Ecclesiæ, aut statuantur altaria, cum ratione, & auctoritate hoc faciant. Scilicet ut si longitudo, aut periculum aquæ, vel silvæ, aut alicujus certæ rationis, vel necessitatis caussa poposcerit, ut populus, & sexus infirmior, mulierum videlicet, vel infantum, aut etiam debilium imbecillitas ad ecclesiam principalem non possit occurrere, & est sic longe villa, ut presbyter illuc sine periculo ad tempus, & congrue non possit venire, statuatur altare; & si ita populo complacet, & commodum fuerit, ne sine ratione scandalizetur, Parochia maneat indivisa. Sin autem præfatæ caussæ postulaverint, & populus non conductus, neque cupiditate, vel invidia excitatus, sed rationabiliter, adclamaverit, ut ecclesia illis fieri, & presbyter debeat ordinari, hoc Episcopi episcopaliter, teste Deo, in conscientiæ puritate, cum ratione, & auctoritate, sine intentione turpis lucri, mature consilio canonico tra-

tractent & utilitati, ac saluti subjectæ plebis quæque agenda sunt, peragant, & cet.

Ecclesia sine necessitate numquam Paroeciarum divisionem adprobat.

§. V. Tanti vero Paroeciarum unitatem semper fecit Catholica Ecclesia, ut sine vera canonica necessitate, quæ alteram ab altera distinctam pro animarum salute exigit Paroeciam, numquam veteris *dismembrationem* adprobarit, atque adeo Episcopos suorum temporum, qui sine ea necessitate Paroecias dividebant, ita increparit Zosimus (1), ad Isichium scribens: *Fecit hoc nimia remissio consacerdotum nostrorum, qui pompam multitudinis quærunt, & putant ex hac turba aliquid sibi dignitatis adquiri. Hinc passim numerosa popularitas, etiam his locis, ubi so-*



(1) *Epist. I.*


solitudo est, *talium reperitur*, dum Parochias extendi cupiunt, *aut quibus aliud præstare non possunt*, *Divinos ordines largiuntur*.

Caussæ dividendæ Paroeciæ adferuntur.

§.VI. Hinc, ne & Paroecialia jura conculcentur, & in dividendis Paroeciis Episcoporum adpareat *dispotismus*, sapientissime ab Ecclesia consultum est, ut, *si res ita se habet*, i. e. si vera dividendæ Paroeciæ extat necessitas, Episcopi caussa cognita, eamdem dividant. Ex Alexandrina vero constitutione, quam sibi adoptat Concilium Tridentinum, præcipuas novæ Paroeciæ constituendæ caussas inferunt juris canonici periti, in quibus Fagnanus est.

1. Si torrens, aut flumen intercedant, quæ nec pontem habent, nec vado transiri possunt (1).

2.



(1) *Leg.* Flumine interveniente *ff. de serv. rust. præd.*

2. Portæ civitatis clausæ, ita ut aliquæ familiæ extra ipsius ambitum remanserint.

3. Necessitas leprosorum.


4. Distantia loci.

Ex quibus inferri licet, unam esse novæ erigendæ, veterisque dividendæ caussam, magnam nempe difficultatem, seu, ut loquitur Concilium, magnum incommodum ad matricem ecclesiam, hyemali præsertim tempore pro re spiritali accedendi. Quæ omnia in unum collecta, unum quidem constituunt, quæ ab ipsius juris canonici peritis dicitur *justa caussa:* quæ sine dubio, ut Fagnanus cap. *Ad audientiam* adserit, tunc quippe justa habenda est, quum *constet legitime*, & dummodo, ut Lucius Ferraris refert, omnes caussæ *collective* sumantur. *Ergo*, concludit Fagnanus ipse, *caussa subsistente, eaque probata, & non alias permittitur erectio.*

Nova

Nova Paroecia per dismembrationem sine justa caussa summam injuriam adfert Parocho veteri.

§. VII. Nec vero minoris sunt momenti, quæ Böhmerus (1) de Paroeciarum dismembratione verba faciens, scripsit: *Hoc casu tamen merito requiritur justa caussa, ne scilicet erigatur nova Parochia in præjudicium veteris Parochi, & illi absque causa populus subtrahatur; vel si parochorum interesse non adeo attendendum esse videatur; ex alia ratione tamen ad* dismembrationem *non est deveniendum; quia hæc quamdam* alienationem *continet, quæ sine justa causa suscipi nequit* (2). Immo quia regulariter prohibita est, hinc sine justa caussa suscipi nequit (3). *Gene-*



(1) *De jure Paroch. sect. III. cap. III.* §. *IX.*
(2) *Jo: Baptista Turricellius de benef. unione cap. 7. n.* 8. *Laurenius de for. benef. III. q.* 949. *Card. De Luca tom. III. theatr. verit., & just. de regal, disc.* 5. *n.* 4.
(3) *C.* 3. *X. De Eccl. ædif.*

neraliter, sequitur Böhmerus, *caussa debet esse rationabilis; alias non facile admittitur, & quia quamdam alienationem involvit, hinc eædem in hac dismembratione requiruntur sollemnitates, quæ alias in alienatione rerum Ecclesiæ* (1).

Paroeciæ dismembratio facta, caussa non cognita, nullius est momenti.

§. VIII. Quæ quum ita sint, si Episcopus, caussa non cognita, Paroecias arbitratu suo divideret, nullius momenti esset divisio, ita ut *non sufficiat assertio ipsius Episcopi, dismembrationem facientis* (2). *In terminis*, inquit (3) *dismembrationis assertionibus*



(1) *Barbosa de offic., & potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 67. *n.* 16. *Turricellius cit. l. n.* 9.

(2) *Cardinalis de Luca disc.* 43. *de benef. n.* 6.

(3) *Et disc.* 14. *n.* II. *de benef.*

bus Ordinariorum non ſit deferendum abſque juſtificatione . Quod quidem magis exemplo, quam auctoritate patet. Ea enim eſt humanæ naturæ conditio, ut quod ſibi placet, id procul dubio maxime bonum ſit. Fingamus igitur, Epiſcopum ſua fretum auctoritate velle Paroeciam A. dividere, alteram conſtruendam curando; tamen cauſſa neque cognita, neque probata, neque iis, quorum intereſt, auditis, (quod nec in mentem venire debet) & apud Tribunalia ſuprema canonicam adſeruiſſe neceſſitatem diviſionis. Nonne ſatis cuique eſſe debeat, hanc neceſſitatem ab Epiſcopo, qui Parochus dicitur Parochorum, eſſe iſto modo cognitam? Ah! minime gentium. At enim Epiſcopus eſt; immo Apoſtolus, cui quidem fides præſtanda eſt, quam cui maxime. Scimus & hoc; tamen quum nihil humani ab Epiſcopo alienum putandum ſit, quumque ipſa veritas Epiſcopis quidem, (non ſancto Epiſcoporum caracteri) maximopere præſtet; Epiſcopis neceſſitatem alterius

Parœciæ adſerentibus deferendum non eſſe, ut ſcripſit De Luca, certius eſt, quam ut aliis argumentis opus ſit, niſi *conſtet legitime*. Epiſcopos vero eſſe Apoſtolos, ac propterea ſanctos fatentur omnes; tamen operibus, virtutibuſque, non ſolo glorientur Apoſtolorum nomine, velit Eccleſia; quamvis eorum ſanctitas pro Divina inſtitutione nec in dubium vocanda ſit.

Mutuus amor inter Epiſcopos, & Subditos; qui haberi nequit, ſi Epiſcopi res forte agunt.

§.IX. Certum autem eſt, tanti eſſe debere plebi Chriſtianæ ſuum cuique Epiſcopum, quippe qui pater, & doctor eſt, quanti & veteris Eccleſiæ fidelibus erant Apoſtoli, qui tantum exigebant pro ſanctæ ſuæ vitæ ratione obſequium, quantum eorumdem Apoſtolica dignitas merito poſtulabat. Hanc quidem rem qui vel Divina oracula, vel antiquitatem conſulere velit, hic indubiam debet adſerere. Sed quiſnam poteſt dubitare,

quin

quin Episcopi propter eam, quæ inter patres, & filios est, relationem, subditos quippe filios amore prosequi debeant? Nisi vero eas habent dotes, quibus Apostolus vult ipsos ornatos, mutuus inter se, se amor nequit haberi. Ex quo quidem fit, ut Episcopi in rebus agendis, in Parœciis præsertim dividendis, adhibito prius prudenti virorum doctissimorum, non pessimo quorumdam palponum consilio, non paucorum genium sequi, sed quod justum, quod sanctum, quod pro sacris canonibus utile, ac necessarium est, hoc pro suo jure facere debeant. Ita inter eos mutuus amor, vera pietas, immaculata religio. Quod si fidelis Christi grex parumpèr de Episcopi pastoris sui regimine cæperit ambigere, virtutisne amore fiat, an gravi cupiditatis impulsu, ac pro ingenio id, quod ex ejus scatet agendi ratione; væ misero gregi! Lupus inter agnos. Quapropter merito S. Gregorius Papa ad Joannem civitatis Ravennæ Episcopum ita lit-

teras dedit (1). *Tantum debet actionem populi actio transcendere Praesulis, quantum distare solet a grege vita pastoris. Oportet namque, ut metiri sollicite studeat, quanta tenendae rectitudinis necessitate constringitur, sub cujus aestimatione populus grex vocatur. Sit Episcopus ergo necesse est cogitatione mundus, actione praecipuus, discretus in silentio, in verbo, singulis compassione proximus, prae cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiae erectus*. Quid plura? *Oportet*, clamat Apostolus (2), *Episcopum irreprehensibilem esse*.

Epi-




(1) *Lib. Regul. Pastor. par. 2. Cap. I.*
(2) *Epistol. ad Titum cap. I.*

Episcopi non possunt plus sibi potestatis adsumere, quam Concilium eis permittit in Paroeciis dividendis.

§. X. Quid vero potestatis Episcopis in Paroeciis dividendis sit, novisque erigendis, vel ex ipsius Concilii verbis intelligi potest. Operæ igitur pretium est, quid, & quomodo hac de re sanciverit Concilium Tridentinum, attentius animadvertere. Duo quidem statuit remedia; quorum alterum est: *In omnibus Ecclesiis Parochialibus, vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui Divino peragendo, cogant* (Episcopi) *Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum Divinum celebrandum*. Tanta est hujus decreti vis, ut pro re nata ipsum ad verbum exequi debeant: nec enim eo possunt aliter uti, quam hic

Patres illi sapientissimi statuerunt, licet quam maxime numerosus sit populus: nec Episcopi tum pietate, tum doctrina præditi propter plurimum animarum numerum Parœcias umquam curarunt dividendas; sed hoc Tridentini remedio prudenter usi, plures sacerdotes, qui communi hodie œconomorum vocabulo donantur, *ad hoc munus adjunxerunt*. In quibus sane Episcopis non est silentio prætereundus doctissimus olim primarius in Archigymnasio canonum professor, postea Episcopus Muranus Carolus Gagliardus; qui, quum sacros canones satis bene calleret, magno Muranæ Diœcesis ad septies hominum millia Oppido nomine *Sancti Felicis* in Lucania, duos adjunxit sacerdotes œconomorum nomine, ejusdem oppidi veteris Parœciæ unitatem non dividens. Sciebat enim vir doctissimus, quid Concilii Congregatio, quid juris canonici periti hac de re senserint. *Omnino* (1) *congregatio Con-* ci-



(1) Gallemart in decl. ad hoc caput, n. 1. pag.

cilii censuit cap. 4. sess. 21. *Episcopum in vim Concilii Tridentini non posse erigere coadjutoriam, sed utique cogere Rectorem ad adjungendum sibi tot sacerdotes, quot sufficiunt Ecclesiæ Sacramentis ministrandis*. Neque enim Episcopo novam licet erigere Parœciam, nisi & alia occurrunt, quæ Alexandrina exprimuntur constitutione: *Ad audientiam*. Adeo Parœciarum unitatem adamavit Concilium, ut, quum animarum saluti, adjuncto sacerdotum ministerio, consuli possit, eam dividendi potestatem noluerit Episcopis concedi. *Quoties enim*, (1) scripsit Cardinalis De Luca, *sola ratio excreti populi vel incommoditatis itineris in aliquibus anni temporibus urgeat adhuc absque necessitate procedendi ad hanc dismembrationem, seu divisionem, quæ alienationem re-*



pag. 140. super verbis: *Ut unus Rector non possit sufficere*.


(1) *Disc. 16. num. 3.*

redolet ; ideoque regulariter probibita est, recte consuli potest cum destinatione unius, vel plurium ecclesiarum . . . . . non diminuta Ecclesiæ Parochialis unitate ; ac majestate tam circa numerum clericorum , & inservientium , quam circa populi majorem concursum, in aliquibus præsertim majoribus anni sollemnitatibus, dum cum præfato remedio recte consultum remanet, idemque obtinetur finis, vel resultat effectus. Quid clarius, quid justius, quid maturius pro animarum salute ? Sic in veteri Ecclesiæ disciplina, sic in Concilio statutum est. Quod & Lucius Ferraris in verbo *dismembratio* scripsit quam clarissime: *Non permittitur tamen* (inquit) *dismembratio , supra dictis non obstantibus , quoties Parochianis distantibus consultum est per coadjutorem, qui possit Sacramenta ministrare in commodiori Ecclesia. Ricc. Praxis For. Eccles. resol.* 486. *n. 6. versu* Limitatur *par.I.*

Quod autem fuerunt quandoque Episcopi , qui potius augendi Parochorum numeri gratia, quam Parœcianorum

rum ſalute, Deique cultu, eo pervenerunt, ut propter numeroſam civium multitudinem Parœcias curarint dividendas; propterea Eccleſia, quippe quæ ſoli animarum ſaluti cupit, ac debet conſulere, numquam talem Parœciarum diviſionem adprobavit. Omnino quum *Epiſcopus* (1) *Neocaſtrenſis* (ſcripſit Lucius Ferraris in verbo *diſmembratio*) *ad conſulendum numeroſitati Populi diviſiſset Parochiam, & duas portiones curatas æque principales conſtituiſset, Sacra Concilii Congregatio die* 15. *Decembris* 1703. *declaravit, diſmembrationem, ſeu diviſionem in duas portiones curatas non ſuſtineri; & invalidum fuiſse concurſum, reſpondit*. Hæc ibi.

Ca-



(1) Nicolaus Cyrillus Neocaſtrenſis Epiſcopus electus die 7. Julii anno 1692., vixitque ad annum 1708., ut refert Ughellus T. IX. Ital. Sac. pag. 412. in additione.

Canonica Parœciarum divisio Episcopis concessa, caussa subsistente.

§. XI. Quod vero accidit, ut vera sit quandoque divisionis caussa, quum Populi Christiani salus suprema ac Divina Lex sit, ex qua, tamquam ex fonte suo manant & Ecclesiæ leges pro externa rerum cura, hoc statuit apertis verbis Concilium, quod alterum est remedium: *In iis vero Ecclesiis, in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & divina officia audienda accedere non possunt, novas Parochias, etiam invitis Rectoribus juxta formam constitutionis Alexandri III., quæ incipit:* Ad audientiam, *constituere possint*. Potestas quidem hæc quam maxime ampla est; tamen multis circumscripta limitibus. Quare non opus sane est, ut Episcopi satis nimis hujus decreti verbis adhærentes, tanta se jactent præditos potestate, ut sibi absolutum quiddam Parœciarum dividen-

dendarum jus adſumant, ita ut eorum ſtet pro ratione voluntas. Si enim ea verba, quæ tam amplam reipſa exhibent poteſtatem, attentius conſiderarent: *novas Parœcias etiam invitis Rectoribus conſtituere poſſint*; aliter quidem ſentirent, ut plurimum quaſi omnes Epiſcopi ſatis bene ſentiunt, perinde, ac ſentire debent.

Quid ſibi velint ea verba, invitis Rectoribus.

§. XII. Etenim verba *invitis Rectoribus*, id pro certo ſumunt, quamvis & periculum quandoque in re ſpiritali ſubſit animarum, ita ut vera, & canonica urgeat Parœciæ dividendæ neceſſitas; tamen Eccleſiæ Rectorem ſine ratione legibus obſiſtere, atque adeo impedire, quominus ad hoc deveniatur, ut propter veram animarum ſalutem nova erigatur Parœcia. Quod quum ita ſit, ecquiſnam non videt, eum Rectorem jure ſuo cadere, & Eccleſiam Catholicam, cui primo a Chriſto concredita fuit Fidelium

cura

cura, hac in re totis viribus animarum ſaluti incumbere debere? Tunc enim vero, pertinaci Rectore, poteſt, atque adeo debet Eccleſia ipſa per Epiſcopum, ut jam ſtatutum eſt, Parœciam dividendam curare. Ex quibus clare intelligitur, eorum verborum ſententiam nihil aliud ſignificare, quam Rectoris pertinaciam poſt Epiſcopi paterna monita ad Parœciam pro vera, canonicaque neceſſitate dividendam.

Ex naturæ lege nemo jure ſuo ſpoliandus, niſi cognita cauſa.

§. XIII. Quum autem poſſint Epiſcopi, *invitis Rectoribus*, Parœcias dividere propter eorum pertinaciam; tamen, *ſubſiſtente* etiam pertinacia, ad hoc deveniri nequit, niſi citato pertinaci Rectore. Quod ut ſatis bene intelligatur, id præmittendum eſt: Legem nobis habemus, quæ & ipſa pro Philoſophorum lingua voluntas Divina licet adpellari, qua homo non inſtitutus, ſed

ſed imbutus eſt. Hac quidem lege illud inter cetera ſancitur: *neminem lædere; jus ſuum cuique tribuere*. Qua de re neminem latere poteſt, Parochos, eo quod ſibi ab Eccleſia regimen animarum collatum Parœciæ ſuæ eſt, in quam eorum quiſque pro legibus immiſſus eſt, lædi in quoquam neque poſſe, neque iis, cauſſa non cognita, ſpoliari juribus, quæ ſibi ab Eccleſia ſunt collata. Hinc factum eſt, ut ſi quando juſtis de cauſſis vera ſit Parœciæ dividendæ neceſſitas, ſapientiſſime ſtatutum ſit, ut, quo nova erigatur Parœcia, Rector prius Matricis citandus ſit. Quapropter, ut refert Fagnanus (1), *Jam cenſuit Congregatio Concilii, ad erectionem novæ Parœciæ non eſse aliter procedendum, quam citato Rectore Parochialis, intra cujus fines nova Parochia fuerit erigenda, & erectionem, omiſsa hujuſmodi citatione, ab Ordinario factam*;



(1) *In lib. III. Decretal. fol.* 624.

ctam, *nullius momenti existere*. *Nec tantum Rectoris Ecclesiæ*, *sed etiam aliorum omnium*, *quorum interest*, *prærequiritur citatio*. Multa quoque refert Lucius Ferraris, quæ non minoris sunt momenti, in verbo *Dismembratio*. *In Parochialis*, inquit, *dismembratione requiritur vocatio Rectoris*, *vel ea vacante*, *defensor ab Episcopo deputandus*, *&* *citatio Parochianorum*, *aliorumque*, *quorum interest*: *cap. I. de rebus Eccl. non alienand. in 6. cap. I. ne sede vacante*.

Hæc Episcoporum potestas non absoluta sed hypothetica est.

§. XIV. Ne vero Episcopi (si qui sunt, qui dicant; *sic volo*, *sic jubeo*.) hac abutantur facultate, maturius sibi animadvertendum est, eam quidem sibimet ab Ecclesia collatam potestatem non absolutam, sed hypotheticam esse. Concilium enim, ut vel ex ipsius decreti verbis intelligitur, Alexandrinam constitutionem sibi adoptavit his verbis:

bis: *Juxta formam constitutionis Alexandri III. quæ incipit* : Ad audientiam. Sed videndum est, quomodo de novis Parœciarum divisionibus summus Pontifex sanciverit. *Mandamus*, inquit, *quatenus*, *si res ita se habet*, *Ecclesiam ibi ædifices* : & cet. Clarior est hæc Pontificia hypothetica, vulgo *conditionalis* propositio, quam ut alia ulla egeat probatione. Pro logicis enim præceptis omnibus numeris absoluta propositio hæc hypothetica est. Quum igitur hoc ipso ita possit quisque argumentari: Possunt Episcopi Parœciarum unitatem dividere, si caussæ sunt justæ atque canonicæ, i. e. si vera est dividendæ Parœciæ necessitas: Ergo, caussa non *subsistente*, nullam super Parœciarum divisione habent Episcopi facultatem: necessario inferendum est, eorum potestatem Parœciæ dividendæ non absolutam, sed hypotheticam esse. At Episcopi pro varia rerum disciplina, & vulgo *circumstantiis* possunt pro suo jure Parœcias dividere. Quid ni? Sed fatendum quoque est, ne isto

qui-

quidem modo hac divisione posse Episcopos uti, nisi cognita tum disciplinæ, tum *circumstantiarum* caussa, & vocato Matricis Ecclesiæ Rectore, ac Parœcianis, aliisque, quorum interest, citatis, ut paulo ante dictum est.

C A P. IV.

Paroeciarum sine necessitate divisio uberrima malorum seges.

§. I. POst hominum memoriam nullum vitium esse, quod corrupta eorum natura non efficit, ut virtus apud societatem adpareat singularis, atque adeo præclarissima, constat inter omnes. Satis quidem est præter quotidianam experientiam ea, quæ hac de re scripsit S. Joannes Chrysostomus, attentius legere. Hinc factum est, ut maledica hominis lingua, quo suas expleret cupiditates, conviciis virum honestum consectetur, summis vero laudibus malum hominem ornet. Haud scio vero, an malum tantum in omnibus sit, quæ con-

consequi cupit perversa hominum natura: sed in Parœciarum divisione, quæ necessaria non est, idem sæpenumero comprobari, quam quod maxime, certum est. Quod plane non aliunde, quam a sacrorum canonum contemtu existit; quibus prudentia adhibitis, caritas procul dubio Parœciarum divisionem postularet, non malevolorum quorumdam flagitaret alterius damno honoris contentio. Quæ quum ita sint, operæ pretium videor facturus, ea mala paucis describere, quibus præcipue certo scatet non necessaria Paroeciarum divisio.

I. Malum

Bonorum virorum scandalum.

§. II. Id Apostoli in memoriam revocantes, quod Præceptor Divinus omnibus inculcavit: *Væ mundo a scandalis* (1); propterea quidquid docuerunt,

D quid-



(1) *Matth. cap. XVIII. V. 7.*

quidquid ſcripſerunt, quidquid denique locuti ſunt, atque monuerunt, illud caritatem excitat, pietatem fovet, virtutem auget: quod & in ſucceſſores pro re Chriſtiana eorumque dignitate debet tranſire. Quum enim viri ſæculares in ſuſpicionem adducerentur, Parœcias ad quamdam pietatis ſpeciem, atque honorem dividi, novaſque conſtitui; cogitare hoc ipſo, atque adeo obloqui, id Epiſcopos (quod qui bonus eſt vir ne cogitet quidem) non virtutis, atque gregis amore, ſed potius cupiditatis vitio faciendum curare. Tantum igitur abeſt, ut Epiſcopi hac Parœciarum multitudine quid adferant utilitatis; quin potius corpus Chriſti myſticum maximo adficiatur detrimento, animarumque ſalutis ruina.

II.

II. MALUM

Falsitates multæ.

Quum autem voces Paroeciarum divisionis vulgo jactari incipiant, eo cives veniunt dementiæ, ut, divisis factionum partibus, in studia diversa modo pecudum ferantur. Interea autem temporis Populi pars vel mercede conducta, vel genio perverso mota, atque corrupta, clamat, per quasdam falsitates, inventaque crimina in veterem, novum flagitat Parochum, veterem æque, ac Hebraei Samuelem, despuendo; donec spes aliqua novæ Paroeciæ effulgeat.

III. MALUM

Rumpitur caritatis vinculum.

Hinc inter Paroecianos ipsos manet alta mente repositum odium, alterius adversus alterum invidia, ita ut rum-

patur necesse sit caritatis vinculum; quod præcipuum in Evangelica lege est. Etenim id docet (1) Apostolus: *caritas non agit perperam*.

IV. MALUM

Languet pietas, inter cives discordia.

In parvis vero oppidis, divisa Paroeciæ unitate, clerus quasi nulli subjectus, nulla Paroeciarum frequentia ad verbum Dei, atque catecheses, sacrasque functiones; quæ languent quidem tum ob divisam Presbyterorum paucitatem, tum ob paucorum interventum; nulla denique inter cives concordia. Qua de re Cardinalis De-Luca (2) hoc litteris consignavit: *Frequens experientia docet, quod hujusmodi Ecclesiarum Parochialium duplicitas scissuras, & factionarias æmu-*



(1) *I. ad Corin. Cap.* 3.
(2) *Disc.* 16. *n.* 4.

æmulationes inter utriusque clerum, & populum respective causare solet.

V. Malum

Se conviciis invicem proscindunt; sancta non sancte tractantur.

Ex iis igitur, quæ dicta sunt, clare patet, factam Parœciæ divisionem, quæ non a caritatis vinculo, unde necessitatem debet Episcopus dimetiri, sed a cerebrosa quorumdam malevolorum voluntate orta est, non solum quæ descripsi mala efficere, sed eo quoque perveniri calamitatis, ac petulantiæ, ut Sanctissimam Christi Religionem ad quasdam pietatis species curent certatim redigendam, sic ut conviciis se se invicem proscindant Parœciani, alter suam, suumque jactando, alterius Parœciam, Rectoremque simul obstinate alter contemnat; sanctæ Ecclesiæ sollemnitates ex arbitratu vanorum sæculi hominum, injustaque honoris contentione pendeant; diversus

docendi catechismi modus valde magnam ingerat confusionem; sacrum ministerium nihili habeatur; vastentur denique Parœciales Ecclesiæ; ut Hieremias opus esset ad tantam deplorandam vastationem, dicens: *Quomodo sedet sola civitas plena populo!* Quod quidem ita esse, vel ex S. Athanasio intelligi potest (1), qui rectius putavit, populum in eumdem locum ad sacras synaxes convenire propter eas, quas fusiori calamo scripsit rationes. Sed juvat, quod S. ipse Pater scripsit, id omne ad verbum describere: *Quid ergo rectius* (inquit) *putas particulatim, & dissociatim, una cum periculo elisionis populum Synaxes facere? an potius ut in locum omnium bene capacem conveniat, & unam eamdemque sine dissonantia vocem reddat? Certe id rectius, cum id concordiam unanimis multitudinis ostendat, & Deum ad exaudiendum promtiorem habeat. Nam si pro ipsius Salvatoris pacto in consensu duorum quod-* cum-



(1) *Apol. ad Constantium Imperatorem.*

cumque petierint, fiet; quid igitur futurum, ubi ex tot tantisque populis in unum congregatis, una vox respondeatur acclamantium, Amen? Quis hoc ipsum non admiratione prosequatur? aut non inter felicia prædicet? cum videat tantam multitudinem in unum locum convenire? Quid gaudii ibi ex mutuo invicem conspectu, antea soliti in adversa loca dispertiri? Omnibus certe, præter unum calumniatorem hoc ipsum dolentem, incredibili lætitiæ fuit.

VI. MALUM

Omnium malorum epitome Parochorum absentia propter injustam Paroeciarum divisionem.

Sed malum, quod malorum omnium summa dici potest, Pastorum est necessaria ab ovibus absentia; qui (ut sua interest) jura Ecclesiæ quisque suæ pro sacris canonibus defensuri, quum Paroeciæ divisio sine necessitate flagitatur, suprema debent adire Tribunalia: atque

ita quando Parochi (quod facere deberent, scribo) curam omnem operamque ad ovium salutem, ad Sacramenta scilicet exhibenda, ad ignaros catechismum docendos, ad verbum Dei prædicandum, ad auxilium infirmis, pauperibus præsertim stipis etiam erogatione, ad pietatem fovendam, ad errores prudentia corrigendos deberent conferre, proh-dolor! aliis atque aliis negotiis distineri coacti, animum ad justitiam inveniendam, os quidem ad se defendendos, manus ad pecuniam hic illic erogandam, pedes ad Tribunalia lustranda inviti adjicere debent. Tanta mala fert Paroeciarum sine necessitate, sed ad quamdam pietatis speciem divisio. Faxit Deus, ut Episcopi meminerint, quod Apostolorum sint successores, & Parochi olim ab eorum essent consiliis. Sic Paroeciæ ad *ædificationem*, *non ad destructionem dividerentur*.

Ec-

Ecclesia tam grandia mala semper curavit eliminanda; nec non summi Imperantes.

§. III. Quoadusque caritas *in cordibus fidelium diffusa*, fructum ferebat, ita ut cor unum, & anima una erant tunc temporis Christiani, eo Fidelis quisque contentus erat orationis ac Sacramentorum administrationis loco, quem destinabat Ecclesia. Sed quum cæpit id inter eos adparere fermenti, divisionis nempe Paroeciarum, Ecclesia ipsa præludium tantorum malorum compescuit, Paroecias sine necessitate dividi numquam permittens, sic ut summi quoque Imperantes Ecclesiarum jura armis defenderent.

Rex Pipinus jura Ecclesiarum defendit.

§. IV. Ut enim ex annalibus Pithœanis ad annum 760. patet, Pipinus Rex justitias (jura nempe) Ecclesiarum Aquitaniæ a Waffario duce

ar-

armis dicitur vindicasse: *Tunc Pipinus Rex cernens Waffarium ducem Aquitaniorum minime consentire, justitias Ecclesiarum partibus, quæ erant in Francia, consilium fecit cum Francis, ut iter ageret supradictas justitias quærendo in Aquitania.*

Utriusque quoque Siciliæ Reges hac de re canones volunt observari.

§. V. Id vero, quod hac in re præcipuum est, utriusque Siciliæ Reges, si quandoque Parœciæ divisionem postularet necessitas, pro sacris canonibus fieri novam erectionem jusserunt; inque iis FERDINANDUS IV. Rex noster (quem Deus sospitet) invictus, semperque Pius numquam Parœciæ cujusque dividi permittit unitatem, nisi vera urgeat necessitas canonica, ut ex ipsius Regni politia intelligitur. Postea autem quis nescit, Regem aliis legibus canonibus non derogantem expressis verbis, se totum eisdem committere? Discant igitur vel ex hoc, qui Aposto-

lo-

lorum occupant locum, sacrorum canonum observantiam; nec sub pietatis, necessitatisve specie Parœciarum unitatem dividant: ex quo quidem Parochorum jura turbantur, quum sibi persuasum esse debeat, res novas (nisi ulla urgeat divisionis necessitas) uberrimam quidem esse malorum, atque perturbationum segetem, veræque pietatis excidium.

Honoris, & paucorum civium majoris commodi caussa Parœcia numquam dividenda est.

§. VI. Nec vero audiendi sunt, qui vel ignorantiæ caussa, vel perversa voluntate in bonum publicum boni publici specie malis artibus student pro virili parte Parœciæ unitatem dividi, novamque erigi *propter honorem, majusque paucorum civium commodum*. Ego vero nullibi invenerim, *honorem*, ut ajunt, *majusque commodum* canonicam dividendæ Parœciæ unitatis caussam esse, quum id in nullo adhuc libro scriptum sit. *Preoc-*

Praeoccupationi respondetur. Quando Ecclesiae Paroeciali, populoque magis serviatur.

§. VII. Satius vero esse opinor, illis, qui hoc incaute jactitant, *eo bonum esse Paroeciarum unitatem dividere, quod plures Parochi plura habeant stipendia, quae vulgo congruae dicuntur*, & alia quaedam id genus, nihil quidem respondere, quam eorum auscultare insanias. Ego vero hoc politicis hisce viris problema discutiendum propono: Melius ne sit, gratia exempli, unum ovibus Christi cujusdam oppidi, Parochum novum a veteri distinctum, an totum ejusdem loci clerum uno eodemque conduci stipendio, earumque curae pro rata quemque portione vacare?

Sed ante problematis solutionem praemittendum est, tantum abesse, ut Parochus iste novus, qui pro sacris canonibus *auxiliaris* Matrici Ecclesiae dicitur, se ad id tantum existimet

met Parochum factum esse ; quo veterem adjuvet , pietatem foveat , caritatem in Parœcianos studeat augere, quin potius, quum sibi persuasum sit, se a Matrici divisum, omnia pro suo jure exercere, veteri Parocho tum in dignitate , tum in honoribus parem , illud usurpet, quod nec jus, nec Ecclesia umquam contulit, ita ut in omnium festorum dierum æmulatorem evadere incipiat , alios festos dies excogitando , quo pietatis fucus splendidior adpareat. Quod si *licet parva componere magnis*, id pro virili Parochi isti novi studeant efficere , quod olim Cpolitani Patriarchæ reipsa effecerunt ; qui eo pervenerant superbiæ, atque arrogantiæ, ut sibi œcumenici Patriarchæ titulum , qui solius est Pontificis Romani , adrogarent . Accedit etiam , quod novi isti Parochi, ut fert hominum natura, quales militiæ duces, cleri *unitatem* , quod Catholicæ Ecclesiæ canones non permittunt, sine necessitate dividendo, per injuriam quærunt hominum scribere delectum : sic sacræ Ecclesiæ functiones nec in Matrici, nec in nova

Pa-

Paroecia ea, qua debet ratione fieri poſſunt. Hinc omnia, quæ paulo ante dicta ſunt, exiſtunt mala: & eo quandoque ventum eſt, ut feſti, ſollemneſque dies, atque ſacræ functiones ad quamdam reducantur pietatis ſpeciem. Sed ad propoſitum veniamus. Eccleſiæ Dei, ut certum eſt, tunc ſervitium præſtabatur induſtrium, quum omnes Eccleſiaſtici viri uni addicebantur Eccleſiæ, quæ *incardinatio* dicebatur; ita ab ipſa Eccleſia pro ſuo quiſque gradu ſtipendium quotidie accipiebat. Qua ſane diſciplina mutata, cæperunt Presbyteri huc illuc vagari. Quapropter ſive politicum lucrum (quod ſatius eſt pluribus, quam uni diſtribui), ſive Paroecianorum ſpectetur commodum, nullum quidem dubium eſt, quin & majori ſit utilitati, & magis animarum ſaluti provideatur, totum ſub Paroecialis Eccleſiæ unitate Clerum, quam Parochum alterum a veteri novum diſtinctum curæ animarum vacare. Hoc & antiquitatem ſapit, quæ Eccleſiæ menti conſona eſt, & perennia jurgia dirimit.

FINIS.

INDEX CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.